



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-803640-p0002-3

DFO

24

DEO O. M. JUVANTE  
RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE ac DOMINO  
Dn. JOANNE GUILIELMO  
DUCE SAXONIÆ JULIACI CLI-  
VIÆ ET MONTIUM &c. &c.

DISSERTATIONEM THEOLOGICAM

*De*  
**FLAGELLATIONI-  
BUS PONTIFICIIS**

SUB PRÆSIDIO  
Dn. JOANNIS GUILIELMI BAJERI  
S.S. THEOL. D. EJUSD. FACULTATIS IN IN-  
CLUTA AD SALAM ACADEMIA P.P. ET  
h.t. DECANI SPECTABILIS

*Domini Patroni, Preceptoris, suorumque Studiorum  
Promotoris omni Observantiae cultu prosequendi*

PUBLICO EXAMINI SUBJICIT

**ALBERTUS Mönich/Lippiâ-Westphalus,**  
SS. Thcol. Studiosus.

*A.d. X. Aprilis A.C. ob Ic LXXXVIII.*

*IN AUDITORIO MAJORI. April 1688.*

*JENAE,  
Literis GEORGI HEINRICI MÜLLERI.*



INCLUTÆ REIPUBLICÆ LIPPIENSIS  
SENATUI INCLUTO

VIRIS

Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, Pruden-  
tissimis, Spectatissimis &c.

DNN.

CONSULIBUS,  
PRO-CONSULIBUS,  
SYNDICO,  
TOTIQUE ORDINI SENATORIO

DNN. Patronis, Promotoribus & Fautoribus suis  
magnis, omniq[ue] obsequio, observantia & honore  
submissè juxta & piè etatem colendis  
prosequendis,

pacem, vitam & prosperitatem, !

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI,  
CONSULTISSIMI PRUDENTISSIMI.

DNI.PATRONI,PROMOTORES & FAUTORES  
OBSERVANTER COLENDI.

**I**spicienti mihi, cuinam has studiorum meorum Theologicorum primitias consecrarem? VOS PATRES PATRIÆ statim offerebamini, imo ad VOS ultrò & non una de causa ire videbatur Præsens Dissertatio. Etenim communis & omnibus in patriam suam quasi innatus amor, cuius juxta Poetam dulcedo cunctos dicit & immemores non sinit esse sui, me maximopere impulit, AMPLISSIMIS VESTRIS NOMINIBUS illam submissâ mente inscribere, hæc in patriam meam ejusque PROCERES pietas, nihil magis æquum, fructuosum & honestum duxit, quam de Patria bene velle mereri, præsertim si quis ibidem, ut ego, non solum natus sed & educatus, linguis artibusque instructus fuerit. Licet ergo studiorum gratiâ per quadriennium ferè in peregrinis degerim locis, propositum tamen & studium de patria bene merendi nunquam mihi defuit. Sisto hanc in rem præsentem, VOBISQUE dicatam de FLAGELLATIONIBUS PONTIFICIORUM DISSERTATIONEM, ceu pietatis in charissimam patriam sponsorem minime fallacem, & erga VOS, PATRONI OPTIMI, obsequii perpetui, obsidem certissimum; quamvis etiam haud dubitem, pagellas has ob materię gravitatem, VOBIS non adeò ingratas fore; unicè tamen hæ devoto offerentis cultu se commendare gestiunt. Nihil nunc dicam de vestris in patriam inclutam meritis, nec hujus chartæ angustia caperet, nec vestræ virtutis gloriam lingua, diserta licet, exhaustiret, sed ideo sub VESTRIS AMPLISS. NOMINIBUS has apparere volui chartas, quia

eos patronos eligere judicavi, quos olim B. meus PAREN<sup>S</sup> post  
Deum optimos expertus est & coluit : Id propter dubito nullus,  
quin & me derelictum orphanum in vestram sitis suscepturi cli-  
entelam ; imò singularis VESTRA mihi jam ab ineunte etate  
toties exhibita benevolentia, summò jure hoc gratitudinis monu-  
mentum à me postulavit : Percellor quidem VESTRA AMPLIS-  
SIMA DIGNITATE, sed huic suavi conjugio conjuncta hu-  
manitate erigor. Patiamini ergo me inter fidos seriosque vestros  
clientes censeri, suscipite hoc munusculum fronte menteque serena  
& mei meorumque studiorum EVERGETÆ & MOECE-  
NATES perseverate exoptatissimi. Hæc summa est meorum vo-  
torum. Ea propter non solum hanc dissertationem sed & me ipsum  
**PATRIÆ, VOBISQUE PATRIÆ PATRIBUS** of-  
fero cum precibus calentibus, quibus quotidie insto, ut Deus T.O.M.  
tot malis expositam, dicam an obnoxiam ? Patriam cum civibus  
lectissimis sub umbra alarum suarum ab omni malo & periculo pro-  
tegat, pacem, & tranquillum beatumque statum illi concedat,  
**VOSQVE** cum splendidis & honestis vestris familiis incolines  
tueatur, omniq[ue] benedictionum genere cumulet, ut patriæ diu diug[ue]  
& præesse & prodesse possitis. Valete ergo cum patria optima  
optimè & favete.

Vestrar. Nobiliss. Amplitud. &  
Spectatiss. Dignit.

Jenæ è Museo  
2. d. 10. Aprilis  
A.O.R. 1688.

omni studio atque officiō submissè

deveneranti Clienti  
**ALBERTO MÖNNICH.**  
SS. Theol. Stud.

212



*Humanissimo Doctissimoque*  
**DN. ALBERTO Mönich/Lippiā-**

Westphalo, S. Theol. Studioso eximio

*Amico animitus dilecto*

S. P. D.

**JOANNES GUILIELMVS BAJERVVS D.**

**R**idem est, Amice, quòd Te Christi serviis consecrasti: non solum communibus illis, quæ nobis omnibus ipsum nomen Christianorum & Baptismi fœdus imponit; sed & his, quæ *τοῖς ἐπαγέταις Χριστί τοῖς* *οἰκουμενοῖς μυστηρίον* *Ιησοῦ* sunt propria. Ac benè successit ha-  
c tenus piæ mentis propositum; quando conatibus Tuis ita favit summi Numinis gratia, ut non paucis difficultatibus superatis, studiorum cursum continuare posses, ac sacræ doctrinæ cognitione imbutus inde sæpiùs ex umbone sacro feliciter habitis sermonibus ædificares populum: nunc autem ex Cathedra Academica profectuum Tuorum specimen exhibeas, quòd Te posthac, *ἐπώνομος Ιησούς θελήσῃ*, omni studio profuturum Ecclesiæ ostendas. Sed cùm doctrinam pariter fidei & præcepta morum à Christo tradita, fidelibus aliquando commendaturus sis; visum est, mox abs Te attendi debere ad discriminem humana-  
rum *προσδόσεων*, à dogmatibus Christi veris, quibus illa,

a 3

Pseu-



Pseudodoctorum operâ, assui cœperunt ; simul otio-  
forum ac superstitionis operum, quæ sanctis à Chri-  
sto mandatis exercitiis pietatis vel æquiparantur vel  
anteferuntur. Ita factum est, ut materiam disputatio-  
nis publicæ quærenti, ea placeret , quâ flagellationes  
Pontificiis receptæ sub examen vocarentur. Cum e-  
nim vel inter opera pœnitentiæ, ac satisfactionis pœ-  
nalis ; vel exercitia insignioris erga Deum Christum-  
que charitatis , forte ad conformitatem cum Christo  
majorem, vel ambitiosè jaētata supererogationis ope-  
ra referri deprehenderes ; ideò ut fœnum aut stipulæ  
aut ligna, ab argento auro ac lapidibus pretiosis distin-  
guerentur, operæ pretium existimasti, & flagellorum  
venditores , ( æquè ac numularii isti & qui columbas  
Hierosolymis vendebant, à Christo excepti sunt ) fla-  
gellò verbi coercendos putasti, ut ne peregrina ista  
atque irreligiosa studia, operum verè bonorum, aut  
exercitiorum pœnitentiæ laudem obscurarent, vel sibi  
vendicarent. Quibus conatibus uti meritò favent  
qui Christianam veritatem & pietatem incorruptam  
amant ; ita ut supremum Numen Tibi porrò largia-  
tur, quæ sanctis desideriis explendis conducunt, et  
iam atque etiam precor, & futurum spero. Scribeb.  
Jenæ prid. Kal. Aprilis A. C. cib Ioc LXXXVIII.

Expo-

213

**E**xponens sua membra flagris, homo respice! cædor,  
ne cædare, Tu nomine, JESUS, ait.  
**C**ur igitur flagris laceras Tua membra, cohortis  
assecla Romanæ? Est, crede mihi, impietas!

*Egregiis conatibus Per-Eximii atque Eruditissimi Dni. Mönichit  
Fautoris atque Amici plurimum colendi, applaudens  
cum omnigenae prosperitatis voto scrib.*

**M. Michaël Züllichius, ad D. Mich.**  
**Eccles. & Minist. Jenensis Collega.**

**N**Es Kayser Carl der fünfte mal hat einen Reichs-Tog ausgeschrieben/  
Worauff die Chur- und Fürsten sind erschienen und zusammen blieben/  
Da tritt ein Franciscaner Mönch/wie es Francisci (a) hat erzehlet/  
Am Sontag auff dem Predigt-Stuhl/dem es an Worten nicht gefehlet/  
Doch stellt Er in Geberden Sich so närrisch/ daß man mußte lachen:  
Er konte Sich bald klein/bald groß/bald lincks/bald rechts die Stellung machen;  
Bald legt Er Seinen fahlen Kopff gebückt auff Seine Hände nieder/  
Als wenn die Rahe mausen will: Bald kam Er in die Höhe wieder.  
Die Canel war schön ausgeschnizt/und also hin und wieder offen/  
Da nun der Strick/damit der Mönch gegürtet/hat ein Loch getroffen/  
Indem derselbe Sich gebückt/ist diese Kurzweil drauß geschehen:  
Ein sicherer Herzog/als Er hat den Strick hervorgehangen sehn/  
Scheut Er sich nicht/doch unvermerkt/bald einen Knoten drein zu knüpfen;  
Der arme Mönch weiß nichts darvon/will eilends in die Höhe hüpfen/  
Da sitzt Er fest/muß mit dem Haupt ganz frumm gebücket liegen bleiben/  
Der Kayser weiß nicht/wem Er soll die so veriwegne That zuschreiben:  
Der Stricken-Träger lieget da/an seinem eignen Strick gefangen/  
Und will Er auffgelöst sein/muß Er von andern Hülff erlangen.  
Diß war nun wol fast hart gescherkt! Man möcht sich eher unterwinden/  
Mit Saufftmuth und Bescheidenheit die simple Mönche zu entbinden/  
Und darzuthun aus Gottes Wort/daß auch die Vaals Pfaffen pflegen  
Mit Messern und mit Pfriemen Sich zu rizen und ihr Fleisch zuschlagen; (b)

Und

(a) Erasmus Francisci in seiner lustigen Schau-Bühne von allerhand curiositäten.

(b) i. Reg. 8.v.28.

Und wie der Höchste selbst gesagt: Wer fordert das von euren Händen? (a)  
Wer hasset doch sein eigen Fleisch? (b) soll man dann seinen Leib so schänden/  
Und suchen so durch Sein Verdienst ihm selber etwas zu erwerben?  
Was hätte unser Jesus dann am Kreuz für uns bedürft zu sterben?  
Herr Vetter/weil Ihr nun gedenkt/dahin die Mönche zu bewegen/  
Dass Sie nicht mehr nach eignem Blut so dürlig seyn/den Strick ablegen;  
So wünsch ich Euch viel Glücks darzu/dass Ihr was gutes möget lehren/  
Und also (welches Wunder wehr) ein Mönch den andern mag bekehren!  
Doch fürchte ich/das Kloster-Volk wird eure Müh gar schlecht belohnen;  
Es sollte wol (kenn ich Sie recht) des ungeschornen Mönchs nicht schonen  
Mit Nachdruck und mit rechtem Ernst das Heilithum von ihren Stricken  
Noch zehnmahl mehr; als Ihnen selbst / Ihm theilen aus auff Seinem Rücken/  
Doch seyd getrost! habt guten Mut! Ihr dürfft destwegen nicht verzagen/  
Seht / wie Ihr nur die Mönche möcht mit Ihren eignen Stricken  
schlagen!

(a) Isa. I. v. 12.  
(b) Eph. 5. v. 29.

Dieses wenige wolte seinem fonders geliebten und werthgeschätzten  
Herren Vetter zu Ehren in aller Eyl aufzusetzen/ und von  
Eleve nacher Jena übersenden

M. JOANNES RAYSER / RAYS. Gefr. Poet/  
und der unveränderten Augsp. Confession Prediger  
in Eleve

**M**ONNICH<sup>I</sup> Monachi flagellas impia flagra,  
Præclarum hoc opus est, præclara laude notandum,

Turba Papalis enim, queis involuta tenebris  
Errorum & morum, pleno nunc lumine cernit;  
Det Deus, ut tandem capiat! Monachumq<sup>u</sup>, sequatur,  
Impia qui solidè Monachorum flagra refutat!  
Gratulor hos ausus & honorum culmina, fructus  
Mille Tibi, domuique Dei patriæque precando.

Hac amico suo estimatissimo Commensali haec tenus suavissimo  
faustæ ominationis & gratulationis ergo obulit  
Johannes Theodorus Schlechtendal,  
J.U.Cult.Clivo Clivenfis.

214





B. C. D.  
DISSERTATIONIS  
*De*  
FLAGELLATIONIBUS PON-  
TIFICIIS, RELIGIONI CHRISTIANÆ  
ADVERSANTIBUS.

I.

**A**ppropinquat iterum tempus illud sacrum ac venerabile, quô Christiana Ecclesia Domini sui ac Salvatoris Passionem, salutis humanæ officinam unicam & certissimam, piâ memoriâ multisque devoti cultûs exercitiis celebrat Atque in ista colluvie malorum, quæ Christum Δικαιογον excepunt, non immerito meditatur gravissimam afflictionem istam, quando Pilatus *Horribili corpus Christi rubefecit flagello*: Ριγεθανη χριστοι δέμας Φοίνιξεν ιμάθλη: uti Nonnus in Joh. scribit. Hæc enim castigatio contigit illi, ut esset nobis pax: Hi vibices illi sunt, per quos sanati sumus: teste *Esaia Cap. LIII, 5. & Petro I. Ep. II, 24.* Quamobrem Christiana pectora heic agnoscent suorum quidem peccatorum gravitatem, servili atque acerbâ flagellorum pœnâ expiandorum; Christi verò pro inimicis flagellati amorem incomparabilem: inde fugiunt peccata, Deo pariter & Christo tam exosa, & hominibus qui desistere ne-

A

sciunt

2      *Dissertat. de Flagellationibus Pontificiis*

sciunt, æternis flagris apud inferos luenda: Sed in hac vita paternæ castigationis divinæ flagellis, quæ sapientia & caritas Optimi Numinis dirigit ac moderatur, humili affectu se subjiciunt; ac si pro gloria nominis & doctrinæ & mandatorum Christi, vel corporis vel famæ flagra pati necessum fuerit, adeò non detrectant, ut gaudeant magis: denique concupiscentias pravas flagello spiritus affligunt, eô modo, quo crucifigere & mortificare carnem jubentur Gal. V, 24. Coloss. III, 5. nempe id facientes, quod vel maximè adversatur corruptæ naturæ cupiditatibus.

§. II. Illud autem vel maximè dolendum, si mentes humanæ, quæ in genuino usu' passionis atq; adeò flagrorum, quæ Christu' passus est, plus satis negotii invenire possent, nescio qua sanctitatis affectione, κακοζηλίᾳ inquam & superstitione inducti, seu alias sapientias, seu hōc tantum, certè in primis hōc facro & memoriali passionis Christi tempore, ipsi sese flagellare, cädere & ad sanguinem usque, forte & deliquium animæ, in corpora sua sponte sœvire ausint: atque huic operi tantum tribuant, ut vel sibi, vel aliis, gratiam Dei, veniam peccatorum, atque imminutatem à pœnis temporalibus, sive in hac vita, sive post eam subeundis, mereri posse confidant.

§. III. Ita enim in Ecclesiis Romano Præfuli subjectis die paralceves, horis autem nocturnis, inter cæteras velut ad scenam collectas hominum catervas, multos viideas larvatos, seminudos, ac flagris etiam aculeatis sua terga cadentes; sanguine vero profluente non tantum linteas, quibus medii cinguntur, humectari, sed collectum concrecere aut exundare; immo prater plateam, etiam adstantes spectatores haud raro eō conspergi: Dum alii flagellantium comites, magnas atque onerosas crucis humeris bajulant; alii brachia lignis oblongis alligata protendunt; alii alia tormenta sustinent. Nec solùm occurrent, qui suis peccatis expiandis intenti, sanguinariam illam, pœnitentiam subiérunt: verum alii aliorum vicarii, prece autem pretiō conducti; vel denique sponteā sui afflictione, pro iis quos diligunt, libamen Deo præstituri.

IV. Nec

215



*Religioni Christianae adversantibus.*

IV. Nec desunt, qui ausus & facinora ista, magnō studio & collectis plurimis argumentis commendarunt, latidibus quoque publicis celebrarunt inter quos vel præcipue nominandus est *Jacobus Gretserns* Jesuita, qui in *Libris de Disciplina, de Virgideiis, Agonistico & athletica sacra, Prædicante vapulante, Precone Mastigophilo, Apologia pro Lojola*; multum opera profecto posuit, ut morem illum suaderet, & à nostratium censuris liberaret. Sed & *Bellarminus* Lib. IV. de pœnit. cap. VI. *Jerem. Drexelius* in *Trimegisto Christiano*; *Paxmannus* in *Hodego Catholico*; *Jacobus Kellerus* in *Papatu Catholico*; aliique, præsertim Comentatores in *I. Cor. IX. v. ult. quales Salmero & Cornelius à Lapide*: *Ludovicus à Ponte* in *Cant. Libro V.* & qui de Pœnitentia ac Mortificatione carnis scripsierunt, varii.

§. V. Ex Protestantibus multi jam pridem Doctores ludos illos passionales impugnârunt, & propugnantibus illos responderunt: inter quos facile primas tenet *B. Jacobus Heilbrunnerus*, editâ *Carnificinâ Jesuiticâ*; quæ cum Lauingæ primam aspexisset lucem; mox *Wittebergæ* A. 1613. denuò typis commissa, nec Latino solum sed & Germanico idiomate digna habita fuit. Quanquam idem ille libro Germ. sub titulo *Uncathol. Pabstthum*. P. I art. IV. c. III. p. 93. eiq; succenturiatus *B. G. Zeemannus* in *Apologia prioris scripti* p. 261. seqq. idem in *Gretsero revapulante & Gretsero triumphato*; *B. Balduinus Cas. Consc. L. IV. Cap. I. Cas. VII. p. m. 649. seqq.* *B. Hutterus* L. I. XXVII. de Mortific. carnis cap. II. p. 910. seq. *B. Gerhardus Conf. Cathol. LII. p. III. art. XVI. cap. VI. p. 114. seqq.* *B. J. Giesenius* Disp. LXIV. de Papismo Q. VII. p. 1096. *B. Dannhauerus*, Chriſteid. act. I. Phænom. 1. & 2. p. 39. 82. & Hodomor. Spir. Pap. Phant. XI. p. 844. seqq. denique disp. pec. ad *I. Cor. IX. v. ult. de Hypopiasmo Paulino*; in hoc argumento occupati fuerunt: ut non tam opus esse hodiè videatur novo differendi labore, sed sufficiat, ad priores redire aut remittere alios.

§. VI. Quia tamen cruentorum illorum sacrorum exempla publica quotannis recurrent, & qui disciplinæ Ec-



4 *Dissertat. de Flagellationibus Pontificiis.*

clericis apud Pontificios præsunt, imponere credulis & ad superstitionem pronis hominibus talia, velut pœnitentiæ aut satisfactionis propriæ vel vicariæ, opera; & expletibus applaudere non desinunt: visum est non fore nullum operæ pretium, si sanguinariam illam pœnitentiam cum cura examinemus, eamque veræ Christianorum religioni adversari, paucis demonstramus.

§. VII. Possunt autem flagellationes illæ (ut amur enim nomine verbali, licet purioribus latini sermonis seculis ignotō, hactenus tamen cum ipso opere flagellandi in Ecclesiam introducto) spectari dupliciter: Primum *in se* & præcisâ ratione meritit aut satisfactionis, tantum quatenus ab homine ipso, velut pars cultus divini, excentur. Deinde ratione conjunctæ opinio- nis de efficacia, merito aut virtute satisfaciendi, quæ flagellationibus illis competit. Utroque modo eas cum vera religione Christiana pugnare, distincte ostendemus.

§. VIII. Circa Priorem argumenti partem, non opus est, ut probemus, carere flagellationes illas certo ac perspicuo man dato divino: quando vel ipsi Mastigophili (quos Gretserus hoc nomine ornat) diffiteri defectum illum non possunt: neque ullum Scripturæ locum, quo præceptum ejusmodi continetur, hactenus adduxerunt: nisi quod generalia dicta, quibus mortificatio carnis commendatur, huc referre ausi sunt; non immēritò accusati petitionis ejus, quod est in principio. Hoc enim νεκρόποιον est: anne mortificatio carnis, per castigatio- nes externas, corporis afflictivas, atque ad profluvium usque sanguinis sese porrigentes, rectè fiat? vel non? Sanè literam urgere non possunt, nisi αὐτοῖς propriè dictam, atque hoc sensu mortificationem corporis Christianæ genti impone re velint: quod manifestè impium fuerit; ipsi certè à se, longissimè removent, & per mortificationem carnis aut mem brorum terrestrium denotari actus restinguendi motus pravæ concupiscentiæ, haud raro docent & inculcant. Supereft ergo, ut habitudinem seu proportionem afflictionum illarum

cor-

216

corporis, quas commendant, ac speciatim flagellationis, ad reprimenda desideria carnis, ostendant: ut demum appareat, præceptâ mortificatione illâ carnis, has simul castigationes externas præcipi. Atqui necessarium nexum talium afflictionum cum opere spirituali mortificandi carnem, non esse, vel ipsi aliquando fatentur: certè praxis ostendit, multos, quibus mortificatione carnis opus est, non tamen ad flagellationes sui corporis adigi aut obligari. Et si qui sanguinariâ hâc disciplinâ utantur, nihilominus per experientiam constat, verum omnino esse, quod D. *Hilarius* scripsit in Psalmum CXVIII. *Corporalis illa disciplina non prohibet, quò minus in corde cogitemus stupra, injurias, odia, aliaque scelerâ & flagitia.* Patet itaque, ex præcepto de mortificanda carne (& si quæ alia sunt, huic similia, licet verbis differentia) præceptum de flagellando proprio corpore nequaquam posse inferri. Ne dicam, quod inter ipsos Pontificios inveniantur, quibus opera ista, non ad præcepta sed consilia, aut ad cultus spontaneos, pro diversâ ratione circumstantiarum, referenda videntur.

§. IX. Atenim verò his ita se habentibus Lutherani facile objiciunt atque urgent; omniem ἐφελοθρησκείαν Deo displicere, non solùm quæ quoad materiam seu rem ipsam adversatur legi; verùm omnem, quæ fit sub ratione cultûs, sed præter legem: solam enim legem esse normam agendorum & quando hoc negatur, ut opera cultûs divini multiplicari queant, eam sanctitatis quandam esse corruptelam. Sed nos h. l. ista longius non persequemur.

§. X. Ad Exempla pergimus, quæ ex sacris conquirunt Pontificii, quibus hunc morem fidelibus, Deo probante, receptum fuisse doceant. Neminem autem, qui se ipsum pœnitentiæ aut religionis causâ flagellaverit, adducunt; nisi *Pausum*, cuius τωπιασμὸν ex i. Cor. IX. ult. huc trahunt; aliorum autem in disciplina corporali quoquo modo occupatorum actiones, velut κατ' ἀναλογίαν quandam eo quadrare perhibent: quales sunt ex V. T. *Ninivitarum*, ex N. T. *Job, Baptista & Publicani*.

Dissertat. de Flagellationibus Pontificis  
cani pœnitentis. Atqui hic nusquam vel virgæ vel fustes vel  
flagra aut flagella apparent.

§. XI. Paulus certè l.c. vi vocis *πωμάζειν*, non indi-  
cat actum flagellandi aut sanguinem per flagellorum ictus e-  
liciendi; sed si proprietatem literæ sectemur, idem erit, ac *liv-  
idum facere*: quod fit, ubi pugnis certatur, adeoque contunden-  
do, præsertim faciem aut oculos, ut suffusi cruento velut macu-  
lis deformentur; quod *sugillare* dicunt Latini: & agnoscunt  
*Erasmus* atque *Estius* in eum locum. Agnoscunt autem etiam  
ambo metaphoram, à pugilibus desumptam, quam & contex-  
tus indicat; & corporis nomine indicari *concupiscentiam carnalem*  
expressè docet *Estius*. Hæc autem nec flagellis nec pugnis  
propriè contundi potest. Si dicas, concupiscentiam flagellari  
aut contundi, quando corpus flagellatur aut contunditur, pe-  
titio ejus est, quod est in principio. Et quemadmodum, quod  
Apostolus dicit v.26. *sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi  
aerem verberans*; spirituali sensu accipieandum est, non de corpo-  
rali cursu, aut conflictu; ita quod immediate sequitur: *sed castigo  
πωμάζω corpus meum, & in servitutem redigo*; non de ictibus, qui-  
bus Paulus corpus suum, ipsosque oculos sublividos reddi-  
derit, exponendum est; sed de actu ejusmodi, quô concipi-  
scentiæ carnali ægræ factum sit, eaque vigorem suum perdi-  
dit. Accidit autem hoc, abstinendo ab explendis desideriis in-  
ordinatis, repugnando iisdem per feriam ac frequentem & cum  
displacentia conjunctam reminiscentiam peccatorum præteri-  
torum, simul meditationem fœditatis & noxæ labis inharentis  
atque actualium, ad quæ patranda fortè allici poterat, pecca-  
torum: porro sollicitâ in vietu & omnibus, quæ corpori gratæ  
essent, rebus, adhibitâ curâ, susceptis & providè ac patienter  
gestis laboribus suæ vocationis, denique toleratis quæ subin-  
de accidebant molestiis, afflictionibus & calamitatibus divi-  
nitùs immissis. Ita, inquam, Paulum adversùs se luctantem  
vidisses; non flagella manibus tenentem & corpus suum vel  
ad livorem vel ad profluvium sanguinis percutientem: quod  
ne qui-



*Religione Christiane adversantibus.*

ne quidem pugilum proprii nominis ulli apud Corinthios a  
Iosyé usitatum fuerat. Imò verò si ad Pauli doctrinam & mo-  
res Apostolorum, de alliciendis ad fidem Christianam Gentili-  
bus ac Judæis quàm maximè solicitorum attendamus, flagella-  
tionum ejusmodi non solum species nulla appetet, sed siqua a-  
liunde petita sit, evanescit. Qui enim corporalem exercitationem  
quamlibet parum utilem esse dicit, i. Tim. IV. v. 8. credasne hunc  
flagellandi exercitio tantum tribuere, ad pietatem? Qui cum  
aliis suæ ætatis hominibus vitæ innocentia certare poterat, pu-  
tesne hunc sanguinariâ castigatione corporis sui opus habui-  
se, ne aliis prædicans, ipse reprobus fieret? Qui infirmissimum  
quemque spectabat, ne à sacris Christianorum alienus redde-  
retur, anne hunc tam crudelis disciplinæ coram populo Corin-  
thiorum jactatorem fuisse dixeris? An denique illum, qui Mo-  
saicæ legis jugum Christianis nequaquam imponendum esse,  
toties tamque operosè & graviter docuerat; cruenta illa pro-  
prio corpori inferenda supplicia, suô exemplo commendasse,  
existimaveris? aut si existimes, cui persuadere te posse spera-  
veris? Apage itaque flagella ista à Paulo, qui ab hostibus religio-  
nis quidem ea pati, non item sibi ea inferre, didicerat.

§. XII. Neq; verò in cæteris quæ §. X. meminimus, exem-  
plis aliquid extat, quod Mastigophilis præluxerit. A jejuniiis,  
ciliiciis, clamoribus *Ninivitarum* pœnitentium, ad cæsiones  
sanguinolentas proprii corporis, nulla sanè est consequentia.  
Non à simili ad simile; non à minore verisimilitudine ad affir-  
māndam majorem; non à coniunctorum altero ad alterum. Et  
quis nexus est austera vitæ *Johannis Baptistæ*, cum sævo flagel-  
lationis exercitio? Siccine omnes, qui vitam duriorem vivunt,  
ad flagellantum castra revocandi sunt? aut, quia sub uno ge-  
nere corporalis afflictionis ista continentur, num à genere ad  
certam speciem, aut ab una specie ad alteram, affirmando con-  
cludere licet? Taceo, quod singularis illa vivendi forma, quæ  
peculiari directioni Spiritus sancti debetur, non fuerit fidelium  
turbæ in exemplum, quod actu externo imitarentur, proposita.

*Publi-*



8 *Dissertat. de Flagellationibus Pontificis.*

*Publicanus*, pectus suum tundens, flagellantibus sese vicinior videtur. Sed profecto pectus pugnô tundere, idem non est, atque in nudam cervicem scapulasve aut tergum flagellô ad sanguinem usque sèvire. Transeat ergo & *Publicanus* sine flagello justificatus domum.

*§. XIII.* Manifesta est carnificina Scripturæ, quando in vaticinio *Zachariae* cap. XII, 10. de planctu super Messia confixo, quasi super unigenito, &c. anniversariam flagellationem, quæ ultima quadragesima fit, prædictam docet *Gretserus* in *Apol. de discipl.* 2. cap. 2. Non dicemus, quām longè aliam, imò varias interpretationes alii scriptores Pontificii afferant: (quas *Gerhardus Conf. Cathol.* l. c. p. 125. 126. collegit) *Gretserianam* autem videre non potuerint. Certè plangere mortuum confixum; & anniversariâ flagellatione proprii corporis, suoque adeò sanguine, liture manibus defuncti, ita differunt, ut dubitare possis, utrum serio rem egerit Jesuita, ac vel ipse sibi persuadere potuerit, quod aliis credendum proposuit. De loco ipso autem, ejusque sententia genuina, à *Judaorum* aliorumque *Ψευδερηνεια* liberata, legi meretur *B. Frischmuthii* nostri dissertatione peculiaris A. 1668. habita.

*§. XIV.* Quòd verò *Jeremias Drexelius* ex verbis Ecclesiastici cap. XXIII, 25. *Cibaria & virga & onus asino; panis & disciplina & opus servo;* flagellationes probare conatur in *Niceta lib. 2. c. 4.* mirramur, viro sàpè alieno à nugis sociorum, istud excidisse. Clarum est verba loqui de his, quæ spectant ad disciplinam domesticam in statu herili: nec nisi per accommodationem ad corporis proprii disciplinam trahi posse. Quod si vel maximè placet homini è schola Jesuitarum, corpus suum asini instar habere; fortè ad eum morem, quo de veteri monacho *Hilarione* refert Hieronymus, in vita p. m. 92. quod cùm pubescenti corpori ejus solita voluptatum incendia suggestisset diabolus, ipse iratus sibi; Ego, dixerit, aselle faciam ut non calcitres &c. simul tamen cogitandum erat, anne, si asino flagella, ac ne illi quidem fortasse ad sanguinem usq; infliguntur; ideo homini Christiano mandetur aut suadeatur san-



*Religioni Christianae adversantibus.*

sanguinaria sui castigatio. Sanè ne ipse quidem Hilarion id agnovit, aut quod se flagellaverit, demonstrari potest; & nisi labra & clavus planè easdē bruto animanti & homini adscribas, à simili petitum argumentum omnino claudicare intelliges.

§. XV. Quod si omnia ea, quæ Scriptura commemorat de flagellationibus humanis, per vestiges, atq; ultrò citròque perlustres, equidem inter supplicia forensia, maleficiis à magistratu infligenda, locum habuisse constat: ad religionem referri, & homines, desideria carnis reprimere volentes; aut spectaculum Deo placens, sibi aliisve profuturum exhibituros, flagellis se cecidisse nusquam invenies. Soli præstò sunt Baalitæ, qui cum Propheta Ἰεονέαπτῳ, Elia, de veræ religionis testimonio per miraculum ferendo certantes, culbris ac lanceolis incideisse se leguntur, donec sanguine perfunderentur. I. Reg. XVIII. 28. Atque hæc quidem actio flagellationi, saltem νάρ' αὐλογίας respondet; quamvis instrumento differat. Certè quòd hāc ratione in se velut victimas savierint, suo sanguine litaturi, & velut laceratae victimæ sacrificiō Deum suum flexuri, religionis erat: Religionis inquam omnino, sed falsæ & inutilis, imò pernicioſæ: Quod non obscurè indicat ipse textus, cùm homines istos, juxta ritum suum, ■■■■■ id egiſſe memorat: ritum intelligens sacrificiale atque aedē religiosum: suum cùm dicit, proprium illis, à legibus autem moribusque populi Dei alienum designat. Originem verò ritus hujus Baalitici ad Satanam auctorem referunt *Lyra* pariter & *Sanctius*: quorum ille quidem breviter, *Dæmones*, ait in glossa, delectantur in sacrificiis de sanguine hominis, qui est nobilissima creatura, ad imaginem Dei facta. Hic verò in commentario ad h. l. f. m. 1251. 1252. prolixus est, ut tanquam à Diabolo ortum hunc inter gentiles ritum, ex scriptoribus variis describat; ac præter alios, quos allegat, *Iſidorum* quoque ab Historia Scholastica in hunc locum citari docet: quæ hoc transcribere, præter institutum est.

§. XVI. Itaque non erit, opinor, ut Mastigophili Pontificii disciplinæ suæ sanctitatem ostensuri, gentilium exemplis superbiant. Facile illa largiri possumus: applaudere, ideo flagellantibus sese, non possumus. Solent haud raro



10

Diciturissitat. de Flagellationibus Pontificis  
colligi ab auctoribus, quæ Tertullianus lib. ad martyres; & in Apologetico c. 46. quæ Lactantius lib. I. de Falsa Relig. cap. 21. quæ inter ipsos gentiles Plutarchus de antiquis Laced. institutis, Pausanias in Laconicis, Philostratus, Lucianus, Cicero, Apulejus Lib. VIII. Metamorph. & ex Senecæ libro de superstitione, (qui quidē jam olim amissus est) Augustinus L. VI. de Civ. Dei c. 10. alii ex aliis observatunt. Verūm hæc neque Christianis olim probata; & ab ipsis gentilium sapientioribus, uti à Seneca l.c. etiam aperte taxata fuerunt. Placet sibi quidē in illis Gretserus, atque his exercitiis Christianos ad similem disciplinam incitari debere contendit lib. II. de discipl. cap. 3. p. 109. Lactantius profectò non solùm hoc nomine reprehendit ritus istos, quòd falsorum Deorū cultui destinarentur; sed crudelitatem ipsam sacrorum illorum castigat; Infamiam, Flagitium, Dementiam insanabilem, appellat; addens illud Poetæ: Tantum religio potuit suadere malorum. Quæ peperit sàpe scelerosa atque impia facta. Nec tantum à Barbaris, sed expressè illam simul, quâ homines sectis humeris suo cruore sacrificant, insaniam taxat. Augustinus autem, velut Senecâ præunte, monet, perversos istos homines etiam Tyrannorum saevissimorum crudelitatem superare, qui licet aliorum membra lacerasse legantur, neminem sua lacerare jussent.

§. XVII. Possimus & Turcas hujus moris amantes, in societatem à Pontificiis Mastigophilis vocatos, concedere: de quorum flagellationibus spontaneis Schweiggerus in Itiner. L. II. c. L. VIII. p. 197. agit. De Religiosorum vero inter Muslimos corpora sua rabie, varii varia narrant; quorum nomina & scripta, imò verba quedam suppeditant Hospinianus Lib. I. de Monachis cap. ult. fol. m. & Hoornbeck Summ: Controy. Lib. III. de Muhammed. p. m. 154. 155. Verūm heic una succurrit illud Lactantii l. c. De barbaris non est adeò mirandum, quorum religio cum moribus congruit. Nostri vero, qui semper mansuetudinis & humanitatis gloriam sibi vendicarunt, nonne sacrilegis his sacris immaniores reperiuntur? Hi enim scelerari potius sunt habendi, qui cùm sint liberalium disciplinarum, (addo, & verbi divini) studiis expoliti, ab humanitate desciscunt, quam quirudes, & imperiti ad mala facinora bonorum ignorantie labuntur.

§. XVIII. Sed



*Religioni Christiana adversantibus.*

§. XVIII. Sed neque Iudeos flagrorum disciplinæ addicatos fuisse negabimus. Certè Phariseos quondam veteres in ea se exercuisse; quidam referunt. Et nostro seculô Judæos penitentes sese invicem flagellare consueisse, notum est. Utrinque autem simul apparet, quod Pontificiorum causæ obest.

§. XIX. Veteres illos nescio, an flagellis usos fuisse satis aperte constet. Provocatur ad cap. III. Libri Sota in Talmude. Et ibi quidem Mischnah IV. sub finem p. 432. editionis CL. Wagenseilii, **אשׁר פָּרוֹשָׁת וּמִכּוֹרָת פָּרוֹשֵׁין הַרְיָה אֶלְוָן מִכּוֹרָת עַל־**: *Mulier Pharisea, & vulnera Phariseorum, ecce ista sunt, que orbi interitum afferunt. In excerptis autem Gemaræ, Libri En Jacob, ibidem adjectis, sect. i. pag. 541. inter septem genera Phariseorū memoratur פָּרוֹשׁ קִוְּזָב Pharisæus venæsector. Sed quòd vulnus aut percussio Pharisæi, sit vulnus ex flagris, à Pharisæo sibi ipsi inflictum, conjici fortasse potest, probari non potest. Posteriori loco, quamvis ex mente R. Nachmamis F. J. Pharisæus venæsector sit, qui sanguine parietes conspergit: Buxtorffius tamen in Lexico Majore fol. 1852. & Lightfootus in Horis Ebr. ad Matth. III p. m. 235. ex Targum Babyl. & Glossa atque Aruch, hominem ejusmodi nobis sistunt, qui clausis prope oculis ne mulierem aspicere oporteat; aut obviam euntibus nimis humiliter cedens, caput ad parietem alludit, ad sanguinis usque profluvi- um. Quorum utrumq; longè abest à flagellatione. Targum Hierosolym. Lightfooto citante, de eo quidem exponit, qui unicum præstat præceptum ac unicum officium, ac sanguinem eliciat ad nullumquodque. Anne autem per flagella, & quomodo ad singula seu officia seu præcepta, sanguinem elicere consueverit Pharisæus; non exprimitur. Neque verosimile est, viros illos doctissimos Buxtorffium, Lightfootum, & qui hodiè rem literariam inter primos ornat, Wagenseilium, disciplinæ illam partem, quæ flagellando fit, aut ignoraturos aut dissimulaturos fuisse: si Phariseorum illa vulnera ac venæsectiones huc revera spectassent. Fac autem, hanc fuisse mentem Mischnæ pariter & Gemaræ II. cc. nolint profectò nostri sua religionis exercitia ita commendari, ut dicatur: Ecce illa sunt, quæ orbi interitum afferunt! aut caliginem afferunt: vel in causa sunt, ut rerum ordo*



Dissertat: de Flagellationibus Pontificiis  
mutetur, ut fæda & tristis ubique suæ facies: quod de Phariseorum  
vulneribus ibi pronunciatur, & Cl. Auctor Commentarii p. 440.  
juxta Maimonidem interpretatur.

§. XX. De posteriore Iudæorum pœnitentium more,  
Buxtorffius in synagoga Jud. cap. XXV. p. m. 521. memorat.,  
quod Iudæi ad festum Expiationis se preparantes, nono die, post  
peractas preces & Confessionem, soleant alter ab altero vapulare  
& lorō cædi in synagoga, idque ut tanto magis ad animum  
revocent, abstinendum esse à peccatis, quibus haec tenus quis-  
que addictus fuit. Flagellationis autem hujus hanc esse ra-  
tionem, quod bini semper in peculiarem quendam scholæ lo-  
cum eant, tum alter humi se prosternat, vultu ad septentrio-  
nem obverso, tergo vero ad Meridiem, aut vice versa: alter vero  
loro bovino vel cingulo triginta novem ictus dorso ejus infli-  
gat. Illum, qui flagellatur, interim confiteri, sibique ipse  
ad singulas voces peccatus plangere; videlicet dum flagellator  
ex Psalmo LXVIII. v. 38. tredecim voces ter repetit, & ad fin-  
gulas voces ictum infligit, quod novem & triginta ictus  
constituat. Hunc postea etiam humi procumbere & eo-  
dem modō à socio excipi, & ita graves peccatorum suorum  
pœnas dare. Quarum tamen acerbitatem Buxtorffius ita de-  
niq; describit: *In hac, inquiens, flagellatione asini murum fricant,*  
*lacerisque suis parcunt.* Unde parum laudis aut religiosæ disci-  
plinæ, Christianis imitandæ conspicitur.

§. XXI. In Christiana Ecclesia quamvis confessores  
veræ doctrinæ, virgas, flagra, fustes, lora, nervos, scorpiones, &  
similia crudelitatis instrumenta à persecutoribus adhibita-  
sæpe & magnō animō sustinuerint, quod ex Cypriani serm. de  
Lapsis, Autore de laudibus Martyrii, & pluribus Apologeti-  
corum scriptorum auctoriibus, Martyrologio quoque Roma-  
no & aliunde constat: nemo tamen primorum & primis proxi-  
morū seculorum decursu apparet, qui voluntariâ tali afflicti-  
one corpus ipse suum laceraverit. Athenagoras potius in lega-  
tione pro Christianis p. 29. ubi de Dæmonibus agit; *Ut nihil di-  
cam, ait, de hominibus illis, qui culiris & flagellis nodatis se ipsos diseruci-  
ant, nihil etiam de diversis Dæmonum generibus;* Deus certè ad ea, que  
prater



*Religioni Christianae adversantibus.*

13

40.  
preter naturam sunt, neminem movere. Imò bene est, quòd in Graec  
et Orientali Ecclesia hactenus ne unum quidem exemplum flagellationum  
reperi potuisse fatetur Greifserus lib. de discipl. c. 10. nisi quod  
unum locum Climaci ejusq; scholiaста Eliæ Cretensis huc referre,  
an detorquere dicam? conatur. Atqui Johannes ille Climacus de-  
mum ad A.C.DLX. collocatur à Bellarmino, quo tempore non  
tām pietas crevit, quām supersticio: ac nihilominus, si vitam  
ejus sub compendio à Daniele humili Monacho conscriptam evolva-  
mus, (quæ opusculo Climacis, unde nomen traxit auctor, sive  
Scalæ Paradisi, ut alias appellatur, præfixa est Tom. V. Bibl. PP.  
edit. Paris. III. fol. 254.) cùm multa Ascetæ hujus memoren-  
tur, flagellationum nulla sit mentio: sed vivendi ratio, licet  
adstricta, talis tamen ei tribuitur, quā corpori vim nullam fe-  
cerit, qui potius viētu pariter & somno ita usus fuerit, ne per e-  
normitatem in die aut vigilarum, animi intellectusque substantia conta-  
besceret: Monachum quendam Isaacum nomine, gravi car-  
nis incendio astuantem, atque intestinum bellum singul-  
tibus & lacrymis patefacentem, non horridâ illâ flagrorum  
medicina uti jusserit; sed junctis precibus impetraverit, ut ser-  
pens carnis effugeret, flagellis intensissimæ orationis edomitus. Neque hæc  
orationum flagella, quibus serpens carnis expellebatur; in fla-  
gra, quibus tergum infirmi scinditur, ullâ specie mutaveris.

§. XXII. Pœnitentium in veteri Ecclesia varia qui-  
dem apud Cyprianum ferm. de lapsis, Ambrosium lib. II. de Pœ-  
nit. c. X. Chrysostomum in Homiliis variis, Eusebium L. V. Hist.  
Eccl. cap. ult. Theodoretum L. V. H.E. c. XVII. & alibi extant si-  
gna externa, quibus dolorem suum ob admissa peccata de-  
clararunt: quando pullis vestibus & ciliciis induiti, lacrymas  
profuderunt, cineribus quoque à se ipsis conspersi, jejunia ce-  
lebrarunt atque Eleemosynas largius erogarunt.. De flagellati-  
onibus altum est silentium, exemplum aut vestigium nullum.

§ XX. II. Atque ut rem in pauca contrahamus, certum est,  
mille annorum spatio & ultrà, caruisse Ecclesiam crudeli isthuc  
genere disciplinæ. Ad Damiani tempora initium moris illius  
a quibusdam refertur, quem circa annum M LX. floruisse, mor-  
tuum autem A.M. LXXII. testantur Chronologi. Antiquius

B 3

exem-



14 *Dissertat. de' Flagellationibus Pontificiis.*

exemplum nec *Baronius* in vasto *Annalium* opere suppeditavit; neque *Greiserus* allegare potuit, ut maximè optâisset. Sed nec satis claret ritus illius auctoritas apud *Damianum* in Epistolis. Et fac eam prorsus esse liquidam; mirum tamen est, hujus hominis opinioni aut exemplo tantum tribui à Pontificiis, qui in Epist. ad *Henricum Ravennæ Episcopum* cap. XVI. *Liberum P. R. hereticum & seditiosum fuisse*, scripsit; & in Ep. ad *Firminum Episcopum, Leonem IX. Pontificem* apertè reprehendit propter bellum in *Nortmannos* gestum: quô duplici, nomine ei succenset *Bellarminus*. Verùm illius quidem asseclæ, & flagellationibus dediti feruntur *Dominicus Loricatus*, *Franciscus Assissanus*, *Vincentius*, *Norbertus*, *Bernardinus*, *Ludovicus Tholosanus*, *Henricus Suso*, *Anno Coloniensis*, *Carolus Borromaeus* & alii, quos vastis voluminibus exponunt *Aloisius Lippomannus* & *Laurentius Surius*. Nec negaverim, variam corporis carnificinam his minorum gentium sanctis adscribi. Sed profectò tanti in Ecclesia tunc habita non fuit, quæ publicè approbaretur & commendaretur.

§. XXIV. Quod ut clarius appareat, ad famosam illam sectam Flagellantum, quæ seculis XIII. & XIV. turbas dedit, accedamus. Facile intelligunt omnes, quod, si ritus ejusmodi facer aut religiosus in Ecclesia ante id temporis receptus fuisset; occurrente tali spectaculo mentes hominum non adeò percelli & in admirationem aut stuporem trahi potuerint. At ecce! nobis historicorum sententias de origine sectæ flagellantum. Auctor *Anonymous*, *S. Justinæ Paduanæ Monachus*, Lib. III. Chronicæ sui, de rebus in *Insubribus* & *Euganeis* h.e. Lombardia & vicina Marchia Tarvisiana gestis circa tempora Friderici II. Rom. Imp. usque ad A.C. M CCLXX. quod Christ. Urstius Tomo I. Germaniæ Historicorum a se editorum inseruit, p. 612. 613. expositis flagellantum ritibus, super ista, ait, pœnitentia repentina non solum viri mediocres, sed & sapientes non irrationabiliter mirabantur, cogitantes, unde tantus fervoris impetus perveniret: moxime cum iste modus pœnitentiae inauditus, non fuisset à summo Pontifice institutus, nec ab alicuius predicatoris vel autorizabili persone industria vel facundia persuasus, sed à simplicibus sumis initium;



initium; quorum vestigia docti pariter & indocti subito sunt sequuntur. Colligit inde pro sua credulitate Monachus, quod revera Spiritus sancti gratia, que nescit tarda rerum molimina, imo repente, ubi vult spirat, cor unius hominis sui amoris igne succensa, exemplo illius ceteros inflammaverit. Sed qui liberiores à cœca superstitione mororem illum considerarunt, cum auctorem inter homines certum non invenirent, Satanæ præstigiis, ejus inquam, qui Baliticæ & similibus inter gentiles flagellationibus causam dedit, istius quoque disciplinæ originem adscripserunt. Inter illos Albertus Crantzus Lib. VIII. Wandalizæ Cap. XXIX. p.m. 194. Incertum, scribit, quod autore primum instituta fuerit secta flagellantium, nisi illo, quem ceteris non vigilantiibus tradit Evangelium supersemnasse Zizania: unde & Acephali (hoc est sine capite) sunt appellati. Non tam ista adducimus, ut hâc solâ assertione nixi, tanquam Dæmoniacum cultum illum damnemus: quâm ut constet, ideo in tam diversa & contraria de auctore primario (Sanctus? an malus ille spiritus fuerit?) sectæ flagellantum judicia delapsos esse veteres scriptores; quod Ecclesia anteriorum temporum ad eam usque ætatem sanguinaria illi pænitentia, quam Aventinus vocat L. VII. Annal. Bojorum p. 432. nec lege aut approbatione, neque exemplis laudatis patrocinari deprehendetur. In primis notandum est, quod Joannes Gerson, stricto adversus Flagellantes calamo A. M. CCCC XVII. inter alia hoc utitur argumento; *Lex Christi sufficienter ab Apostolis & saeculis Doctoribus explicata, non invenitur tales novitates flagellantum se constituisse, prædicando vel aliter, sed potius reprobasse, tanquam suspectissimas & periculosis, & quæ vergere possunt in scandalum Christianorum apud Judeos, Saracenos, & Paganos, tanquam lex Christi sit austera, crudelis, & in sanguinibus non in miserationibus enutrita.* Quæ profectò verba non possunt eo restringi, ut flagellationes sectæ istius unicè, fortasse quo ad circumstantias aliquas intercurrentes, attineant; sed fatendum est, ipsum jugulum causæ peti, & flagellationes ipsas, ut sic loquar, flagellari, tanquam Christo, Apostolis, Doctoribus sequentium seculorū nequaquam probatas, sed vetitas; novas proinde, & multis nominibus fugientias, *Quod nobis hâc vice sufficit.*

§. XXV. Non

§. XXV. Non fert ratio instituti, Historiam sequar istius Flagellantium ( seu *Gesalorum*, velut ad imitationem nominis Germanici, *Geißler* aut *verberorum*, quos Aventinus l.c. appellat,) prolixam texere; quique natales & cunabula, progressus, incrementa, quoad numerum pariter socrorum, & regionum per Italiā, Galliam, Germaniam utramque, Bohemiam, Poloniā, multitudinem; quæ revelationum jaētantia, qui magistri, quis apparatus vexillorum, vestitūs, flagellorum &c. qui gestus, quæ dogmata, mores, pœnitentiæ tempus, quæ fata & ex applausu hominum ingenti mox permutata tristior fortuna, quæ Magistratum secularium atq; ecclesiasticorū adversus illos severitas, inde exilia, carceres, supplicia fuerint: de quibus præter laudatos scriptores ll. cc. plura extant apud *J. Tritthemium*, *J. Naucerum*, *Albertum Argentinensem*, *J. Dubravium*, *Gobelinum Personam*, & in Chronicis *Alsatiæ*, à *Bernardo Hertzog*; & *Spirensi*, à *Christ. Lehmanno* editis; nec non in *Paralipomenis*, *Chronico Abbatis Urspergensis* adjectis, *Wolffii LL.* memorabilibus &c.

§. XXVI. Unde nec in eo morabimur, ut de adversariis flagellantium, qui calamè eos impugnarunt, multa adducamus. *Gersonem* illis infensum fuisse, jam meminimus, & exhibent quædam illius excerpta ex P. I. Operum, Parif. A. 1521. edit. fol. 122. seqq. B. *Gerhardus Confess. Cath.* part. III. fol. 118. seqq. & *Elias Ehingerus* in Hist. Eccl. seculo XV. p. 384. seqq. sed & *Egidium de Fano* Anglum Oxoniensem Theologum circa A. C. 1340. contra Flagellantes acre scriptum edidisse, idque in Collegio Balliolensi Oxonii adhuc extare; *Johannem quoque Hogen* (al. de Indagine) illis se opposuisse: *Gerhardus* l. c. observavit. Possent autem ex recentioribus Pontificiis qui Flagriones illos hæreticis accensuerunt, adduci *Alfonsus à Castro*, *Gabriel Prateolus*, *Marsilius Columna*, atque *Abrahamus Bzovius*: quorum nomina indicasse, nobis nunc satis esse potest.

§. XXVII. Unum illud addendum est, cuius silentium fortasse dubium relinquere in animo Lectoris poterat: videlicet, quî factum sit, ut quæ ante seculum prius inter hæreses referebantur, hactenùs adeò laudari & extolli & frequentari cœperint? Sed

Sed nec Oedipo opus est ad solvendum hoc ænigma; quando jam olim in veteri illa scena, remotō velut velō apparuit, quod latere poterat, mysterium. Verbis Alberti Argentinensis, quām nostris, proponere malumus, quæ ad rem præsentem spectant. Ita autem ille de fratribus istis, velut ex devotione, Avenionem, ubi Papa erat, venientibus, seque ibidem flagellantibus; Relatum fuit, inquit, Clementi Papæ de modo pœnitentium: ipse pro eo, quod sibi ipsi hujusmodi afflictionem & pœnitentiam injungebant, volebat eos incarceraſſe. Sed quidam Cardinales eos excusabant, quod non credidissent, male in hoc fecisse. Et Papa sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipsis & omnibus Christi fidelibus prohibuit, ne de cætero flagellationibus publicis uterentur, sed pœnitens solus in Camera posset carnem sic flagellare. apud Urstisium l.c. Tom. II. p. 150. Prorsus eodem modo Nauclerus. in Chronogr. Volum. II Gener. XLV. p.m. 891.

§. XXVIII. Summa rei huc denique redit; quod Papa agnovit ἐθελοθεντιαν flagellantum. Eam quatenus ad superstitutionem faciebat, tollere noluit. Sed quod in ritum publicum, absque consensu & approbatione Prælatorum, suâque in primis, aut Sedis Apostolicæ, ut loquuntur, abierat, & collectâ societate plurimum, tentata fuerat; hoc ægrè habuit Romanum Præfulem. Itaque flagellatio hujusmodi judicio imponentium talem pœnitentiam fieri debebat; juxta mentem Papæ & Cleri; quod & Gerson tendit l.c. Sed quod hic alterum addit requisitum ex parte hominis seipsum flagellantis; ut fiat moderatè & sine scandalo, & sine ostentatione, & NB. sine sanguine; ejus à Pontifice & Curia Papali rationem habitam non fuisse, apparet: quando potius per experientiam pariter & fide historicâ constat, non displicere Clero aut Pontifici Romano, si quis vel ad necem usque se flagellaverit, modo auctorati superiorum nihil deroget, sed societatem, leges, dogmata, ritus Ecclesiæ Romanæ approbasse & servasse cognoscatur: quemadmodum Neophytus quidam Japonensis, qui usque ad mortem flagellis se occidit, & Patri seni se flagellandum ultrò exhibuit, à Nic. Tri-gantio laudatur in Annal. Japonicis A. 1615. Aug. Vind. editis pag. 74. Certè quod sectam Flagellantum seculo XIII. & XIV.

terras obeuntem, multis non solum doctrinæ erroribus seu hæresibus, sed & criminibus, detestandis, infamem faciunt scriptores quidam; non tamen ad hos pertinere videtur, quos à Pontifice comprehensos, à Cardinalibus excusatos cognovimus, quibus nihil aliud, quam, quod in consulo Prælatorum & ab his pendentium sacerdotum judicio, sibi ipsis afflictionem & pœnitentiam huiusmodi imposuerant; vitio datum fuit: Alberto Argentinensi & Nauclero testibus. Monachorum autem & sacerdotū ejus temporis vitia ab illis taxata fuisse, multi testantur; sed hoc ipso Cleri odium contraxisse, & accusationibus aut delationibus variis jure? an injuria? agitatis obnoxios fecisse, alii insinuant, alii aperte fatentur. Quanquam nostrum non sit, excusare illam hominum turbam: qui ne Krantzio quidem si dem derogabimus, cuius exposita narratione secta Flagellatum, hæc denique est ðñi uox: *Habet inter mortales etiam diabolus martyres suos.* Metrop. Lib. IX. cap. XLIV. pag. m. 258. Postquam igitur constat, flagellationem sui spontaneam, quam vetus Ecclesia, tum Israëlitica veteris; tum Christiana novi fœderis, neque inter opera pœnitentiæ, neque inter partes cultus Deo placentis, collocavit; Romanæ tamen curiæ, pridem placere cœpisse, modò nihil derogetur auctoritati & legibus suis: age videamus, quantum ea Deo displiceat, e-jusq; legibus & humano officio aduersetur. Præcipue ad Decalogum ejusque preceptum quimum accedendum est, quô constat, non solum occisionem proximi; sed & sui: ac porro, effusione sanguinis non solum alieni; sed & què aut magis sui sanguinis profusionem omnem, quam caritas non imperarit, aut prudentia Christiana non direxerit, in vitio ponit ac damnari.

¶. XXIX. Ne longè abeamus, præsto est ex ipsis Pontificiis suprà laudatus Gerson l.c. qui post alia multa Fagellantibus opposita argumenta, postremum hoc urget: *Sicne non licet homini seipsum propriâ auctoritate mutilare vel castrare, nisi pro sanitate totius corporis consequenda: sic nec (licet) ut videtur, quod à seipso quis sanguinem violenter ejiciat, nisi causâ medicina corporalis.* Alioqui simile ratione posset homo se canterizare per ferrum ignitum, quod adhuc nemo posuit vel concessit, nisi forsitan idololatriæ vel falsi Christiani, quales reperiantur.

perium in India, qui se putari baptizari debere per ignem. Atque hujus argumenti vim etiam hodiernos in Papatu flagellantes ostendemus & urgebimus.

§. XXX. Certum est, & post Germonem docet Laymannus L. III. Theol. Mor. Sect. V. Tract. III. P. III. cap. 1, §. 1. p. m. 200. quod seipsum mutilare vel castrare ex extra casum necessitatis non solum sit peccatum contracharitatem sui, sed etiam injuria contra Deum. Et addit Laymannus, Est communis doctrinacum S. August. lib. I. de Civit. c. 20. Thom. 2. 2. q. 64. a. 5. Ratio est, quod homo membrorum suorum non sit Dominus; sed solus Deus eorum conditor, & conservator. Ergo injuriam quodammodo Deo infert, qui ex extra casum necessitatis & non tradidit sibi a Deo potestate, ea abscondit, vel mutilat. Quae ratio indicatur Can. Apost. 21. alias 22. si quis seipsum mutilavit, ne sit Clericus: est enim sui homicida, & Dei opificii hostis. Vsd. Canon. I. Concil. Nicensi I. aliosq; plures allegatos in decreto, Distinct. 55. Sequitur Laymannum Patritius Sporer, Passaviensis, Ord. Fr. Min. Recollect. Prov. Argent. SS. Theol. Lector Jubilatus, Tract. V. Theol. Moralis Anno superiore Salisburgi editæ, in præc. V. Decal. cap. III, §. IV. p. 308. Atqui sanguinis haec tenus eadem profectò est ratio, quæ membrorum. Est sane ille pars corporis, atque inter partes similares, quæ fluidæ sunt, in primo locatur ordine. Est porro vehiculum spiritus vitalis, neque sine eodem concipi potest, vel existere: ubi sanguis ibi spiritus vitalis & vice versa: sanguis solus aptus est ad fœnerandum calorem: de quibus uti Medicorum filii plures, ita in primis legi meretur πλλῶν αὐτοῖς ἀλλων. Excellentissimus Wedelius noster in Physiologia sua reformata proximō abhinc mense edita, cap. II. §. 7. p. 36. cap. IV. §. III. p. 71. 83. 102. seqq. Itaque non est, cur dicas, hominem sui sanguinis esse Dominum, qui membrorum Dominus non est: aut extra necessitatis casum sanguinis quadam parte privare se posse, cui ne digitæ parte, aure unâ aut naso aut labio ad integratæ corporis spectante, extra casum necessitatis privare se licet. Est igitur etiam sanguinis illa effusio temeraria, non solum peccatum contracharitatem sui, sed & injuria contra Deum.

§. XXXI. Frustrè hîc obtenditur refrenatio concupiscentiæ carnis, quæ & ipsa necessaria sit, & ad eam aut neces-

saria aut' utilis sit flagellatio illa sui corporis. Nam & huic objec-  
 tioni facile responderi potest ipsorum Pontificiorum verbis,  
 & servatā ἀναλογία inter mutilationem corporis, quoad partem  
 quamlibet, et si minimè principalem; & inter effusionem san-  
 guinis per flagellationes. Præstò est, quem modò citavimus  
*Patricius Sporerus* qui, l c. p. 309. Origenem à SS. PP. graviter re-  
 prehensum commemorans, quod se ipsum castraverit ob vitandam  
 incontinentiā, maximè èo quod versaretur inter puellas Amannienses. Qua-  
 si, addit, incontinentiam superaret membrorum mutilatio, & non magis  
 fortis & constans voluntas, quæ etiam brutaliter sanguiente carne, fidam-  
 firmamq; in Deo stationem tenere potest; cùm nemo cogatur consentire.  
 Quâ ratione etiam dixeris, incontinentiam non superari flagellatio-  
 nibus, sed magis forti & constanti voluntate, quæ desideriis carnis repugnat  
 &c. Quodsi alium ex isto grege audire placeat, promptus ad-  
 est *Lessius* Lib. II, de Justitia & Jure, cap. IX, dubit. XIV. p. 101.  
 Quærit enim, Utrum ob animæ salutem, v.g. ad carnis tentationes vita-  
 das aut superandas liceat se mutilare? & respondet, id nunquam licere.  
 Rationem hanc addit; quia id nunquam est medium necessarium ad a-  
 nimæ salutem. Non enim membra adferunt homini perniciem (alioquin  
 Deus prævè naturam instituisset) sed malitia & negligentia libere vo-  
 luntatis. Unde qui ob hanc causam membrum aliquod secant, tacitam-  
 quandam injuriam & blasphemiam Deo irrogant. Nonne vero de  
 flagellatione dorsi & actu eliciendi inde sanguinem, velut ob  
 animæ salutem, & ad carnis tentationes vitandas aut supe-  
 randas, dixeris æquè, non esse medium necessarium? Non enim  
 dorsum aut sanguinem, qui est in dorso, adferre homini per-  
 niciem &c. Sed pergit de mutilatione *Lessius*: Adde, inquit,  
 neque etiam esse conveniens remedium vel utile, quia abscissio vel castra-  
 tio, de quâ præcipue est questio, non tollit tentationes carnis, sed solum  
 impedit generationem, externum veneris vel gulæ usum, quin potius illi  
 qui castrantur, presertim in virili etate, magis incitantur libidine. Ita  
 hic dicendum, flagellationes non esse conveniens remedium  
 vitandi aut vincendi carnales concupiscentias: impedire for-  
 tasse tantisper, dum dolor durat, externum veneris aut gulæ  
 usum, non autem tollere tentationes ipsas, quin potius supe-  
 rato flagellationum dolore, carnem non minus quam antea  
 despun-



despumare posse & solere in libidinem. Certè de lascivia flagellantum illorum veterum, quos memoravimus, hæc leguntur in Chronico Alsatiæ Bernhardi Herzogs Lib. VIII. cap. XX. Diese Geisselfarth wehret wole ein halbes Jahr / daß alle Wochen eine Gesellschaft der Geißler gen Strassburg kamen: Darnachrotteten sich die Weiber zusammen / zogen auff dem Land und geisselten sich/desgleichen junge Knaben und Töchter / daß letztlich Kindsköpf von ihnen fielen/ also geißelten sie einander.

§. XXXII. Quod si fidem huic relationi denegare ausint Pontificii, fateantur saltem, quod, si flagellationibus vis illa restinguendi concupiscentias carnis revera tribuenda sit; etiam scarificationes balneatorum, præfertim frequentius & ad non parvam sanguinis profusionem adhibitæ, non minus quam flagellations illæ, medicinam animæ præstent; ac parum intersit, illorum hominum operâ utantur & balnea frequentent, qui pœnitentiam acturi sunt; an suas ipsi scapulas cædant: balneatoribus autem non solum ut corporis, sed etiam ut animæ curatoribus honorem & præmia persolvant. Fac itaque sanguinis effusionem hic spectari, quatenus sanguis, uti vehiculum spirituum vitalium (forte malles dicere animalium; saltem quatenus serum sanguini miscetur,) simul passionum, aut affectuum fomes esse putatur: sanè si non ideo in genitalia favire licet, quod semini fabricando dicata, salacitati serviunt; non magis causa est, cur in sanguinem sis crudelis. Aut quare è dorso eliciendus sanguis, qui per venæ sectio nem à chirурgo aut tonsore rectius cieri poterit? Imò corpori curando ista relinquenda: non animæ temerè applicanda.

§. XXXIII. Quâ ratione simul occurrit ei sententia aut objectioni, quâ sanguinaria illa pœnitentia non tam in universum commendatur, quando abs homine quovis, suum judicium & voluntatem secuto; sed tunc demum, quando ex arbitrio sacerdotis, velut judicis Ecclesiastici suscipitur atq; exantlatur. Quod si enim illa in corpus & sanguinem exercita violentia non est conveniens remedium ad tollendas pravas concupiscentias; uti ostensum est: fatendum quoque, quod

**25** *Dissertat. de Flagellationibus Pontificis*

non possit à ministro Ecclesiae prudenter imponi, aut suaderi aut consuli, tanquam medium ad talem finem. Nec est, quod satisfactionis titulum hīc substituas. Nam de ejus vanitate post paulò in parte posteriore hujus Dissertationis videbimus. Interim nescio, an sacerdotes Pontificii eō prætextu uti velint, quasi corporis temperamento mutando talia præcipiant, ut hāc ratione moribus, qui plerumque corporis temperamentum sequi solent, medeantur. Ita enim vel Medicorum aut Chirurgorum partes ipsi sibi vendicaverint; vel consilio aliorum nisi demum ad præscribendas flagellationes accedent: quorum neutrum, opinor, sibi tribui patientur. Et probandum demum fuerit, sanguinis illam profusionem ex flagellatione, per naturam facere ad hanc, de quā quartetur, temperamenti alterationem. Neque nobis, dum non constat, quid hīc electuri sint, integrum est, his immorari prolixius. De Judæorum sacerdotibus ad sacrificia destinatis novimus, & scripta quādam illorum testantur, quod lanionum artem didicisse eos oportuerit, ut animalia munda quoad partes internas ab immundis facilius discernere; & mactationis ac divisionis actus rectius exercere ac perficere possent. Sed Christianæ Ecclesiae ministros, præter verbi & sacramentorum curam, non novimus demandatam esse operam peregrinam, quā circa corpora hominum, uti veteres illi circa corpora brutorum, versentur. Atque ita, quamdiu firmiora ostendere illi non possunt, quibus à præcepti quinti, quod est in Decalogo, vinculis liberentur, fixa manebit vis prohibitiva: & jaetata illa religio, non tantum ut frustranea, sed & legi de caritate sui adversa, inque Deum legislatorem & corporis nostri Domini injuriosa, meritò damnabitur.

§. XXXIV. Præter præceptum illud quintum Decalogi, Nostrates aliqui legem aliam divinam flagellationibus Pontificiis opposuerunt ex *Levit. XIX, 18.* ubi Deus ad populum suum: **לֹא תִשְׁרַט לְנֶפֶשׁ ר־א** **תָּנֵן בְּבָשָׂרְכֶם** *Et incisionem anime* (juxta versionem Xantis Pagnini, aut, pro anima, juxta Ariam Monatanum) non dabitis in carne vestra. Quæ *Deuter. XIV, 1.* sic repetitur: *Filii vos (estis) Domini, non incidentis vos:* **בְּנֵי אֱלֹהִים** *לִיהְתָּה*

לְרִיחַת אֶלְחָכֶם לֹא תִּתְגַּדֵּל  
Docent hinc, morem illum,  
quō homines sese sponte cedunt, Deo exosum, & filii Dei pla-  
ne dedecorum esse. Ac certum est, fundamentum legis pro-  
hibitivæ collocari in disconvenientia actus prohibiti cum  
statu filiorum Dei, quātali. Et quanquam flagellationum ibi  
expressa mentio non fiat; quia tamen flagellationes Pontificiæ  
sub communi genere cæsionum haud dubiæ continentur; ac  
licet non omnis casio sui per flagella fiat, quia tamen flagel-  
latio Pontifica utique importat cæsionem dorsi, præsertim  
quando stellulæ acutæ implicantur nodis aut extremis partibus  
flagellarum: ideo negato aut prohibitō genere, speciem quoq;  
istam negativo præceptō contineri ac prohiberi clarum est.

§. XXXV. Evidem *Lorinus* ad l.c. Levit. ut & *Gretserus*  
Lib. II. cap. II. & Apol. pro Discipl. I. II. cap. IV. varia excipiunt:  
præsertim (1) legem illam positivam judicialem esse, non mora-  
lem, quæ Christianos obliget. (2) restringi ad afflictiones  
super aliorum morte aut funere, gentilibus usitatas. (3) specta-  
re ad lanienam, quæ fit cultellis aut lanceolis aut pugiuncu-  
lis, qualis gentilibus usu recepta; sed nimis crudelis fuerit.  
Nostrates autem *Baldinus* in Exam. Apol. Schopp. pro Indulg.  
p. 423. seq. & in Phosph. Cathol. L. IX. c. I. p. 823. seq. *Zeeman*. in  
Carnif. Esauit. p. 192. seqq. & 287. seqq. *Dannhauerus* Hodom.  
Spir. Pap. Phant. XI. p. 851. vim argumenti ex locis illis petiti  
contra exceptiones illas felici successu asseruerunt. Nobis  
dum brevitati studemus, sufficit monuisse, (1) bene esse, quod  
agnoscant Pontifici, legem illam ita spectasse Israëlitas, ut  
Deus declararet, eā prohiberi à se morem ejusmodi, quem in  
gentilibus detestaretur. Atqui quæ lege merè positivâ, v. g.  
forensi, prohibentur, talia sunt, quæ extra populum istum,  
lege ista peculiari obligatum, vitio carent. Quæ autem in  
gentibus ab Ecclesia alienis improbat ac detestatur Deus, ea  
cùm Israëlitis interdicta leguntur, lege morali non merè ju-  
diciali prohiberi, fatendum est. Et quia Israëlitis, quatenus  
*filii Dei* sunt, incisiones illæ prohibentur; Christiani autem  
in N. T. omnino etiam *filii Dei* sunt: dubitari multò minus de-  
bebat, quin etiam ad hos spectet lex illa, & ne quid statui suo  
repudi-

24 *Dissertat. de Flagellationibus Pontificiis.*

repugnans admittant, moneri eos ac juberi. Quanquam enim deinde leges aliæ ll. cc. succedant, quæ mèrè positivæ sunt, & v. g. discrimen ciborum, quoad animalia munda & immunda, &c. attinent; notum tamen est, & vel ex ipso decalogo constat, quomodo ceremonialia moralibus à Deo jungi consueverint: neque adeò, cum ceremonialia quædam vide-  
mus, ideo conjunctas leges, quæ antecedunt aut sequuntur, morales esse negandum est. (2) Concedi quidem posse, quod præsertim ex loco Deuteronomii & verbo לְמַתָּה, quanquam etiam ex verbo לְנִפְשׁ 1.c. Levitici, probari solet; sermonem utrinque esse expressè & formaliter de cæsione proprii corporis in casu funeris amicorum & luctûs inde nati: simul ve-  
rò agnoscendum, quòd cùm Deus non omnem super morte aliorum luctum prohibeat, etiamsi externô quodam signo declaratum: illum, qui cædendo proprium corpus declara-  
tur, ita prohibeat, ut testetur, ideo displicere talem luctum, quia spontanea proprii corporis cæsio sibi displiceat. Unde facilè constat, cæsionem ejusmodi etiam extra casum luctûs super mortuos displicere Deo, & ab eo prohiberi. Quòd au-  
tem excipiunt Mastigophili, non ideo prohiberi incisionem illam, quòd simpliciter Deo displiceat; sed quòd dolor ex morte amici huc impellere non debebat: aliter itaque rem-  
fese habere, si quem dolor ex peccatis suis, & studium refre-  
nandi carnem, ad flagellandum fese commoverit: certè me-  
minisse debebant, quomodo gentiles quidem illi super mor-  
tuis se ceciderint, tanquam pro anima amici (hoc enim est illud לְנִבְשׁ) suo sanguine litaturi; quod multis scriptorum testimoniis pridem demonstratum est: similiter autem in Ec-  
clesia Romana, coli & laudari pridem cœperit, præter eum mo-  
rem, quo pœnitentes ob sua peccata se castigant, etiam vicaria quædam pœnitentia sanguinaria, velut in gratiam laboranti-  
um in purgatorio. Ubi non ovum ovo magis, quam ritus hic cæsioni illi ethnicorum pro anima defuncti, similis fuerit.  
Neque verò vel probabiliter affirmari potest, quòd cæsiones illæ ideo tantum displicerint Deo, quòd pro aliis fierent, placitu-  
ræ Deo, si pro se quisque in suum corpus sæviisset. Violen-  
tiæ

tiam ipsam in corpus proprium exercendam prohibere Deum, manifestum est. Itaque (3) mirum tandem, quod Pontificiū cæsionem corporis per cultellos aut lanceolas, crudelitatis ream agnoscent; eam quæ per flagella fit, quantumcunque sanguinis profundatur, à crudelitatis reatu absolvunt. Sanè instrumentorum ea non est differentia, ut per illa demum, non æquè per hæc, crudelitatis actus exerceantur. Neque opinor actum venæctionis ideo crudelem dixerint Pontificiū, quod lanceolâ fit: actum verò fustigationis, qui fit à carnifice. usq; ad sanguinis profluvium, minus crudelem, quia flagris perficitur, non cultellis. Imò verò quando Pontificii stellulas acutas, ex ferro & chalybe conflatas, flagellis inferunt, quid denique discriminis supereft inter illam gentilium & hanc superstitionum lanienam? Ac fortasse multoties repetitos flagellorum ictus, quibus nonnunquam, præter sanguinem, etiam humanæ carnis particulæ quædam evulsæ in adstantes terramve projiciuntur, plus crudelitatis, quam illas sectiones ethnicas, habere dixeris.

§. XXXVI. Quæ cùm ita se habeant, minimè omnium putandum est, Christianos in N. T. decere cruentam illam sui corporis afflictionem, quæ ne Judæis quidem in V. T. concessa fuit. Quando enim Circumcisio, olim à Deo ipso sancta, Christo exhibitō, & expletō redēptionis opere, abrogata fuit unā cum toto cultu Levitico tām onerosō & diffīcili; ita ut spiritualia externis illis, velut umbris cessantibus, substitui juberentur: credasne, duriora, & magis afflignantia corpus humanum, Christianis, quæ ipsi sibi inferrent, aut præcepta esse aut commendata? Circumcisio, olim tanti habita, jam nihil est. 1 Cor. VII, 19. & qui in præputio vocatus est, monetur, ne circumcidatur. v. præc. 18. Tribuitur autem fidelib⁹ circumcisio in Christo, non mansibus facta, sed quatenus illi exuerunt corpus peccatorum carnis per circumcisionem Christi. Coloss. II. v. 11. conf. Gal. V. 2. 3. cap. VI. 12. 13. Ergone flagellatio corporis cruenta, quæ olim nihil fuit, imò prohibita fuit; jam apud hos, qui stant in libertate, quā Christus eos liberavit, laudatores & amatorum turbam invenierit? Taxantur à Spiritu S. illi qui præcepta & doctrinas homi-

Dissertat. de Flagellationibus Pontificiis  
 num (ἐνταλμασίης διδασκαλίας αἰθρώπων) sectantur, quarantem quidem habent sapientiam in culu voluntario & humilitate animi (ἐπειλογησίας την Καπετοφρούρη) & in eo, quod non parcant corpori, sine honore carnis, ad (necessariam) saturationem: (Ita enim rectissimè vertit Er. Schmidius, quod in Græco est, εν αρχήια σώματος, καὶ εν ιμή πνι ωρές πλησμωνήν Τῆς ουρκός: & constat, dirigī à Paulo stylum adversus eos, qui, dum corpus suum durius tractant, hoc ipsō sanctitatis speciem præ aliis temere affectant:) Nonne igitur eādem ratione dicendum est, displicere Spiritui S. illos, qui etiam nunc, præter jejunia & vigilias immoderatas, cilicia, peregrinationes &c. flagellis insuper lacerant corpus, sive cultu voluntariō, quem privatō prorsus aūsu affectant; sive sacerdotum mandata pœnitentialia & doctrinas hominum ἀγράφες secuti: nec tantum negligunt corpus, sed crudeliter habent, honore suo sic privant, ut asini instar tractent, imò carnificinæ ignominiosissimæ subjiciant: & quasi hæc rationem sapientiæ ac sanctitatis singularis habeant, sibi aliisque persuadere laborant. Videatur talis religiosus quidam esse & modestus, corpusque contemnere: Sapientiam autem non habet efficacia aut ipsa veritate. Deus enim corpori honorem suum contribuit, ipsi vero illo non cum honore utuntur: dixeris cum Chrysostomo in h. l. ex interpretatione Wolff. Musculi p. m. 1274. Spiritualis aut mystica flagellatio, sicut mortificatio membrorum, Col. III. 5. Crucifixio carnis sua cum affectibus & concupiscentiis, Gal. V. 24. Christianos decet: Præpostera & insolita corporis afflictio, præsertim cum opinione cultū & meriti conjuncta, dedecet eos, & sententiâ Numinis ipsius damnatur.

§. XXXVII. Et jam res ipsa monet, ut ad posteriorem argumenti hujus partem accedamus, juxta ea quæ §. VII. indicavimus. Nempe si Gretserum audiamus, lib. 1. de discipl. c. VII. p. 76. Non nisi improbè dubitabimus de talibus disciplinis, num Dei placandi vim ac efficaciam habeant: credere potius tenebimur, flagellationem esse vitæ æternæ certissimè meritoriam; juxta eund Lib. III. Apol cap. II. p. 13. non solum omnis generis cœlestia dona & gratias, sed etiam coronam & mercedem vita æternæ apud Deum mereri: ex ejusdem sententia in Pracone Mastigoph. p. 360. Itaq; non tan-  
 tum



tum in negotio pœnitentia & renovationis ad immutationem hominis internam, concupiscentiarum videlicet imminutio nem aut suppressionem, flagellationes illas efficienter aliquid conferre; sed & in negotio justificationis coram Deo, seu in ipso tribunal divino, ad obtainendam immunitatem à pœnis aliâs infligendis, simul adjudicanda præmia aut mercedem potius gloriosam; sanguinariæ illi pœnitentia valorem, pretium, dignitatem singularem adscribunt. Provocat Gretserus L. II. de discipl. c. VI. p. 279. ad Petrum Damiani; ac certum est Lib. II. Epist. I. quæ ad Monachos ordinis Benedictini in Monte Cassino scripta est, inter plures rationes, quibus suadetur, revocandam esse intermissam aliquandiu consuetudinem, quâ n gulis diebus, qui Sabbatum præcedunt, verberibus in conspectu omnium corpus affligere solebant; hanc tandem declamatorio stylô exaratam contineri: O quam jucundum, o quam insigne spectaculum! cum supremus Judex de cœlo prospectat, & homo semetipsum in inferioribz pro suis delictis metuat (fortè legendum erat, mactat aut plectit) Ubireus ipse in pectoris sui tribunalibus præsidens, trifarium tenet officium: in corde se constituit judicem, reum in corpore, manibus se gaudet exhibere tortorem; ac si Deo sanctus pœnitens dicat: Non opus est, Domine, ut officio tuo me punire præcipias, non expedit, ut ipse me justè examinis ultione percellas; ipse mihi manus injicio, ipse de me vindictam capio, vicemq; meis peccatis reddo. Et post quædam interiecta, tandem in hæc verba definit: Hæc est hostia, quæ viva mactatur, ad Deum per angelos oblatæ defertur: & sic humani corporis viælma illi unico sacrificio, quod in ara crucis oblatum est, invisibiliter permisceatur: & sic in uno thesauro sacrificium omne reconditur, videlicet & quod unumquodq; membrū & quod caput omnium obtulit electorum. Edit. Parisi. de An. M. DC.X. p. 458.

§. XXXIX. Sanè Petro illi Damiani multum negotii ob jiciebatur, ut disciplinam illam scoparum, quam vocat, aut, durâ corrigiarum scuticâ perferendam, persuaderet monachis: quemadmodum fatetur L. V. Ep. VIII. p. m. 402. seqq. morem illum, sponte cædendi corpus flagellis, tanquam novum & sacris canonibus contrarium, à multis tunc fuisse irrigum. conf. L. VI. Ep. I. p. 453. imò protestando velut sibi cavet, quod de ea disciplina monachus monacho scripsit, nec laicorum sive etiam clericorum notitia prodenda

28 *Dissertat. de Flagellationibus Pontificis mandaverit.* L. V. Ep. VIII. p. 403. (Unde non immerito dixi, auctoritatem illius ritus ex Epistolis Damiani non omnino esse claram.) Sed missis aliis, quae moneri poterant, expendemus solum vim rationum allatarum, quibus post illum Pontificii Mastigophili adeo superbiunt, & quasi vicerint, triumphant. Audax profecto compellatio est, quam Monachus, aut quisquis alius sit, εαυτούς μεράπεμψει, Deum alloquitur, actum ejus judiciale non necessarium, aut qui non expedit, atque adeo inutilem & inconsultum fore pronuncians, quod in se, hominem peccatorem, animadversurus fit; quando ipse homo in se puniendo occupetur. Nonne hic rectius dicamus cum Apostolo: *O homo, tu quis es, ο αὐτούς μεράπεμψει τῷ Θεῷ, qui ex adverso respondes Deo?* Rom. IX. 20. Itane vel in hac vita & societate civili, qui deliquit, & judicio criminali obnoxius factus est, Magistrati dicere sustinet: *non opus est Domine, ut officio tuo me punire præcicias, non expedit, ut ipse me justi examinis ultione percellas: ipse mihi manus injicio, ipse de me vindictam capio, vicemque meis peccatis reddo.* Siccine, qui supplicia meruerunt, subducere se tribunibus publicis poterunt, quando se ipsi affixerint? Ita αὐτοί οἱ Χριστοῖ, qui poenas à magistratu inferendas privatō ausu antevertunt, habituri sunt, quo se excusent; imò quod obligent magistratum, ut acquiescat in privata illa sua in semet animadversione? Officium tortoris, quoad afflictionem corporis sui, quam ratione concessum homini aut Deo, aut mandatum, ostendetur? Et quae proinde ratio istius persuasionis, quod tua, Mastigophile, flagellatio vim habeat movendi Deum judicem, ut ejus intuitu te non puniat, & officio suo aduersus te non utatur?

J. XXXIX. Evidem habet Gretserus, quod obloquatur: *Si funiculi hominum iram mitigarunt, plus quam mirum foret, si idem, magno pietatis sensu dorso incussi, divinam benevolentiam nobis non conciliarent?* Lib. I. de Discipl. cap. VI. p. 71. Sed nobis καὶ θεων dicere licebit: *Si funiculi (flagellantum illorum seculō XIII. & XIV.) hominum ejus ætatis, priusque Pontificis, iram non ita mitigarunt, ut carcerem, exilia, aliasque poenas ideo evaderent; plusquam mirum foret, si idem magnō, non tam pietatis, quam*

quam superstitionis sensu, dorso incussi, divinam benevolentiam flagellantibus conciliarent. Pontifex homines illos ideo potius plebendos judicavit, quod absque sua & curia ministrorumque dependentium voluntate, disciplinam illam exorsi essent. Quæc itur ratio nobis persuadebit, Deum non solum non odisse & punire velle eos, qui insuper habitâ suâ lege, neque impetratō consensu, in suum corpus. quod ipse honestat, salviant; sed potius tali opere conciliari eum temerariis hominibus?

¶. XL. Illud autem grande nefas est, & nullâ scopâ tum, disciplinâ expiandum, quod Petrus ille, & secuti Pontificii recentiores, actum flagellationis propriæ, Passioni Christi comparant, aut æquiparant: atque hominis à se ipso flagræ corporis aut dorsum, tanquam humani corporis victimam, unicæ illi sacrificio Christi Jeov. Dæw. p. 8, quod in aracrucis oblatum est, invisibiliter permisceri statuunt. Injuriosum erat in sacrificium illud mediatoris unicum, quod Carolus Scribanus, Regens Jesuitarum Antverpiensium in Amphitheatro honoris, Lib. III. cap. II. fol. 356. 357. prectione ad Divam Hallensem & puerum Jesum, cum dubitare se professus esset, utrum recreandus ex angoribus peccatorum, ad Christi vulnera, an ad Mariæ ubera confugeret? hanc deniq; amplexus est animi sententiam: *Lac Matris, inquit, miscere volo cum sanguine Nati, Non possum antidoto nobiliore frui.* Hic autem Mastigophili nostri suum impurum sanguinem cum Sanguine Christi miscere audent: nobili, si Sancto Judici placet, antidotô fruituri.

¶. XLI. Vulgo Pontificii cum Concilio Tridentino docent, quod homines pœnis (quarum speciem constituunt Flagellationes) vel sponte à se pro vindicando peccato suscep̄tis, vel sacerdotis arbitrio promensura delicti impositis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valent. Sess. XIV. de Pœnit. Sacram. c. IX. Sed neq; hujusmodi verbis stabilitur assertio de mixtura victimæ humani corporis cuiuslibet ex cœtu flagellantum, & uniti illius sacrificii, quod in aracrucis oblatum est: nisi dixeris, perinde esse, omnem mixturam illam; sive dicatur, homines pœnis suscep̄tis satisfacere per Christum; sive, Christum satisfacere pro hominibus per pœnas, quas ipsi in sese patientur. At apage hanc senten-

*Dissertat. de Flagellationibus Pontificis*  
 iam ! Nec præterea vel satis sincerè declaratum ac multò mi-  
 nus probatum est hactenus , quod dicitur , homines *susceptis pœ-*  
*nis propriis satisfacere per Jesum Christum.* Novimus , doceri ali-  
 quando ab adversariis , Christum suō sanguine & morte satis-  
 fecisse , ut nos divinâ virtute instructi satisfacere & ipsi quea-  
 mus . Sed quid hoc rei est , eum , qui flagellatus pro te satisfecit ,  
 effecisse , ut tute ipse , cùm te flagellaveris , pro te satisfacere pos-  
 sis ? Ubinam scriptura hoc docet ? Testatur illa , Christum per  
*semetipsum purgationem fecisse peccatorum.* Ebr. I. 3. *Sanguinem Chri-*  
*sti , qui per Spiritum aeternum se ipsum obtulit immaculatum Deo , purgare*  
*conscientiam nostram à mortuis operibus , non ut satisfaciamus ipsi*  
*nostro sanguine effuso pro nobis , sed ad serviendum Deo . cap. IX.*  
 14. *Castigatio super Messiam facta est , ut nos habeamus pacem , non ut*  
*nossa castigatione satisfaciamus ipsi . Per vulnera & vibices e-*  
*ius sanati sumus ; non obligati , ut per nostra vulnera & vibices sa-*  
*tisfaciamus . Esaiæ LIII. 5. Et quænam tandem est illa expiatio*  
*peccatorum per victimam nostri corporis ? Satisfactoria di-*  
*cunt : Eaq; de condigno ; non tamen secundum rigorem ju-*  
*sticie divinæ . Atqui haec opposita sunt . Quando enim ad expi-  
 anda peccata satisfit , cuinam , quæso , sit satis , nisi justicie divi-  
 na ? Quando a. quod fit , aut præstat , satis est justicie , & dignum*  
*obtinenda impunitate ; nonne hoc idem est , quæam secundum ri-*  
*gorem justicie esse factum satis . Sed illis quidem , satisfactio imper-  
 fecta , satisfactio inæqualis ; nihil absurdī significant . Nec repugnat*  
*his Doctoribus , satisfactionem Christi pro peccatis dici plenam ;*  
*& tamen o pushabere , ut accedant satisfactiones nostræ ad obti-*  
*nēdam impunitatem . Porrò satisfactionem Christi per nostram*  
*satisfactionem statuunt applicari : at passionem per passiones , so-*  
*lutionem per solutionem , satisfactionem per satisfactionem ap-*  
*plicari ; quis unquam animo conceperit ? Certè flagella quidem*  
*facile suo dorso applicabunt illi : per flagella satisfactionem*  
*Christi flagellati sibi nunquā applicabunt , neq; ostendent , Chri-*  
*stū ipsum talia media ordinâsse , suam satisfactionem applicâdi .*  
 s. XLII Nec majori jure flagellantes illi & patroni eo-  
 rum , post expiata peccata , ad varia præmia , præsertim *vitæ ater-*  
*na coronam & mercedem impeirandam , vim quandam meritoriam*  
*sangu-*



*Religioni Christianæ adversantibus.*

31

sanguinariæ disciplinæ tribuunt. Quasi videlicet justitia Dei, quam distributiyam dixeris, his spectaculis ita moveatur, ut bonitati operis ex charitate erga Deum profecti, tanquam de condigno, reddenda sint præmia illa & gradus gloriæ. Ubi, quæso, promissio ejusmodi, aut testimonium in sacris? Evidem his, qui propter nomen Christi persecutio[n]es patiuntur, præmia cœlestia promittuntur, Matth. V. 10. seqq. & alibi: non autem, quasi passiones illæ hæc præmia mererentur; quæ quantumcunq[ue]; fuerint, non sunt condigne ad futuram gloriam: παντὶ μαλακοῖς ἀξέιδες τὸ μέλλοντα δόξαν. Rom. VIII, 8. Multò minus putandum est, quod idem sit, pati persecutio[n]es divinitùs immis-sas, & mala ab aliis inficta, quæ vult pati Deus; &, seipsum, absq[ue] præcepto divino, ex quadam superstitione aut latente ambitio-ne affligere ac mercedem poscere. *Frustra colitur Deus, quando regula cultūs, præter voluntatem Dei, petitur ex mandatis hominum.* Matth. XV. 9. *Quis poscit talia, (flagella quæ vobis ipsi iniiciatis) ex manibus vestris?* dixeris secundūm illud Esaiæ c. I 12.

§. XLIII. At inquiunt illi, cum præceptore suo Petro Damiani. Lib. V. Ep. VIII. p. 403. *Cum sōpito jam persecutio[n]is articulo crucifixores desint, incassum de cetero Crux tollenda præcipitur, cūm nullum dimicanti supplicium à tortoribus irrogetur?* Inde concluditur: Ergo debemus nos sponte flagellare. Stuporem hominum! Christus inimicorum violentiæ aliquoties se subduxit, nec prius, nisi postquam hora divinitùs destinata venisset, se in manus eorum tradidit; nequaquam verò ipse se flagellavit, aut crucifi-xit, aut occidit. Paulus aliiq[ue]; viri sancti, quoties licuit, vel per fugam, persecutorum insidias ac læsiones evaserunt. Paulus etiam jure civitatis Romanæ allegato, flagra sibi inferenda declinavit. Act. IX, 24. 25. XII, 5. seqq. XXII. 24. seqq. At sanctuli illi, deficiente persecutio[n]e, ipsi sibi flagra inferunt. Mirum, nī defi-cientibus aliis, à quibus occiduntur, ipsi ex intemperantia amo-ris, & præpostero Christum & sanctos imitandi Zelo deniq[ue]; au-tοχεi ipsi fiant. Certè, qui vocationi suæ in hac vita inharentes, Deo Christoq[ue]; & proximo fideliter serviunt, Satanæ Mundi & Carnis insultus tam graves, tamq[ue]; frequentes & inevitabiles ex-periuntur, ut nunquam bella pii, nunquam certamina desint:

neque




neque adeò opus sit, ut crucis portandæ, aut conformitatis cum Christo obtainendæ causâ ipsi sibi tortores fiant. Sed quos vel tedium molestiarum vitæ communis, vel impatientia mundi, in claustra monasteriorum aut eremos compellit; qui que non tam ea officia subeunt, quibus proximo prodesse possint, quam sibi & suis concupiscentiis atque otio fortasse relinquuntur, veram autem abnegationem sui, id est Philanthropiæ suæ inordinatae, ac non solum vulgaris & crassæ, sed spiritualis superbiæ, ex intimo corruptionis suæ & peccatorum sensu unicè profectuam exultationem ignorant: non æquè mirum est, quærere crudelē, & ut habeant, quod doleat, in seipso tandem convertere manus aut flagra. Illud autem seu mirandum, seu dolendum, quod perversi illi homines hæc spontanea tormenta & carnificinas suas, tanquam merita apud Deum allegare audent; & nec scio quæ præmia aut mercedes sibi ex condigno pollicentur.

S. XLIV. Postremæ & vel maxima temeritas, an impietas dicam? illa est, quod vicarias etiam commendant & venditant flagellationes. Extant enim profecto non solum exempla hominum à delicatioribus conductorum, qui pro eis tormenta sustinent, applicanda aut imputanda his, qui eos pretio mercati sunt; sed & assertiones expressæ, ac discursus prolixiores eruditorum, qui istud recte fieri contendunt; præsertim si Gretserum consulamus L. II. Discipl. c. XI. p. 290. seqq. Apol. I. II. p. 255. Virgidemæ cap. III. p. 55. & Agonistic. spirit. c. XX. p. 241. Quam enī nonnullos hanc satisfactionem negare fateatur, se tamē & Franciscum Soarium omnino affirmandum statuere scribit; quod vicaria illa disciplina ex opere operato sufficiat ad satisfaciendum. Ecce! sanctitatem Christi credentibus imputari; ut ejus intuitu coram Deo habeantur sancti, docente licet scripturā, neq; & affirmantes multis nominibus impugnant. Mercenariam illam impurorum hominam carnificinam, imputari emtoribus fingunt, & hominibus persuadent, quasi cum aliis velut iporum vice se flagellat, Deus illos inueatur, ac si ipsi se flagellasset, & poenam in judicio Dei approbandam pro peccatis suis sustinuerint. Nimurum & Dominicus, sectæ sui nominis conditor, ut Christo similem se redderet, pati pro aliis, ipse se affligendo, conatus est: Antoninó Flaviano teste P. III. Histor. tit. XXX. Atque ita eò res redit, ut præter Christum plures habeamus Mediatores, non intercessionis solum, sed satisfactionis penitentis: homines autem non tantum dubiae sanctitatis, sed quosvis mercede conductos, scurras, mendicos, balatrones, & si quid vilius istis: quorū passiones sint nostra, modo penitentes simus & credentes, (seu creduli) in merito salutaria. Tantò magis opera danda est, ut juxta monitum Pauli I. Tim. III. v. 10. 21. verbi divini depositum ostendiamus a versantibus profanos de rebus inanibus clamores; & oppositiones false nominata scientia: Quam nonnulli pollicentes circa fidem a scope aberrarunt. Gratias sis nobiscum! Amen!







# Farbkarte #13

B.I.G.

Black	
3/Color	
White	
Magenta	
Red	
Yellow	
Green	
Cyan	
Blue	

Centimetres  
Inches

29  
OO. M. JUVANTE  
ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO  
PER PRINCIPE ac DOMINO  
NE GUILIELMO  
TONIAE JULIACI CLI-  
MONTIUM &c. &c.  
TIONEM THEOLOGICAM  
*De*  
ELLATIONI-  
PONTIFICIIS  
PRÆSIDIO  
SGUILIELMI BAJERI  
EJUSD. FACULTATIS IN IN-  
SALAM ACADEMIÆ P.P. ET  
DECANI SPECTABILIS  
Præceptoris, suorumque Studiorum  
nni Observantiae cultu prosequendi  
eo EXAMINI SUBJICIT  
Königlich/Lippiâ-Westphalus.  
S. Thcol. Studiosus.  
is A.C. ob Ic LXXXVIII.  
UDITORIO MAJORI. April 1688  
JENAE,  
ORGI HEINRICI MÜLLERI.

